

utendo perempta est. Phœniariorum enim, et Syriariorum, et magistratum, et insignium meminit, et clarissimorum: et neque naturales esse vult ex his procedentes: amovens eis etiam imperialis munificentie mansuetudinem. Quam videlicet constitutionem omnino perimimus.⁵²
— § 1. Hæc a nobis sancita sint, et nulla penitus ignorantia nostrarum erit legum, nec qui sunt legitimi, qui vero naturales, nec quomodo eis legitima jura dantur: aut quomodo etiam naturales permanentes promerentur humanitatem: et quomodo etiam ipsi competenter honorati sunt, ab eorum qui neque naturales dici digni sunt, communiione segregati.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et ad hominum medelam atque naturæ supplementum per hanc legem decreta sunt, tua sublimitas faciat omnibus manifesta, programmatibus propositis, per quæ omnibus lex erit aperta, cognoscentibus quomodo in talibus conversentur, et nostram considerantibus providentiam, qui omni alii occupationi eorum præponimus utilitatem. — Dat. kal. septemb. CP., imp. Domin. JUSTINIAN. P. P. Aug. 13, APPIONE V. C. CONSULE.

TIT. II.

DE TESTIBUS¹.

NOVELLA CONSTIT. XC.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. prætoriorum Orientis præfecto, iterum exconsuli, ordinario et patricio.

PREFATIO.

Testium, propter probationes, utilitas² adinventæ quidem dudum est, ne quid lateat facile actorem: at calliditate plurima hominum adveniente animis periclitatur migrare in contrarium ordo causæ. Non enim ut pateant quæ gesta sunt, testantur plurimi: sed quatenus adhuc amplius occultentur; nam alia quidem scientes, alia vero pronunciantibus, aut quæ non sunt, dicentes: hoc ipso confitentur, quia ea quæ vere sciunt, neque volunt patefieri, neque secundum ea proferri judicia: sed quæ nunquam facta sunt, hæc et pronuntiant, et ad iudicium deduci querunt. Omnino itaque perimere testimonia usui rerum incautum est, plurimis existentibus, quæ non aliter pateant, nisi testibus pronunciantibus. Licere autem omnibus etiam valde vilissimis testimonium perhibere, et ante nos prohibuerunt legislatores³, scilicet multas exceptiones facientes et plurimos excludentes etiam ipso testium nomine, vel schemate. Quia vero neque post hæc prohibitiones adhuc purum est testium opus: existimavimus oportere et nos adicere aliquid causæ subtilitati, et falsa testimonia, quantum est possibile, minorare. Tale enim quiddam etiam nunc apud clarissimum Bithyniæ provinciæ iudicem gestum invenimus in testamento, ostensa testium falsitate pessima aperte victoriorum, et novissime confessorum, quia cum testamentum fieret, et fuisset defuncta testatrix, testium quidam tenentes jam mortuæ manum, ita per chartam virgam factam et ex latere ductam traxerunt, et signum⁴ venerabile crucis videri scripsisse defunctam præparaverunt. Nos igitur ad hoc respicientes, alia quidem de modo testium, alia vero de eorum statu existimavimus oportere decernere. Quæ itaque dicta sunt ab antiquis legislatoribus in prohibitione horum, quos suspenderunt testimonium perhibere, rata omnia ponimus.

CAP. I. Ut testes non nisi illæstæ existimationis recipiantur, seu de testibus iudicialibus.

Sancimus autem, et præcipue in hac maxima et felicissima civitate, ubi plurima consistit (Deo favente sermone) multorum bonorumque copia virorum, bonæ⁵ opinionis esse oportere testes, et aut carentes huiusmodi derogatione per dignitatis aut militiæ, aut divitiarum, aut officii⁶ causam: aut si non tales consistant, ex utroque tamen quibus fide digni sunt, testimonium perhibere. Et non quosdam artifices ignobiles, neque vilissimos, neque nimis obscuros ad testimonium procedere; sed ut si qua de eis dubitatio fuerit, possit facile demonstrari testium vita, quia inculpabilis atque moderata est. — § 1. Si vero ignoti quidam fuerint undique, et aliquid apparuerint circa testimonii veritatem corrumpere festinantes: posse eos etiam verberibus⁷ subjacere. Et iudices siquidem administratores fuerint, hoc ipsi agant. Si vero alii præter eos sint, qui

52. Atrog. d. l. 1.

Tit. II. — 1. Lib. 23. D. 5; Lib. 4, c. 40. — 2. L. 1, pr. D. h. t. — 3. L. 8, c. eod. — 4. Far. N. 73, c. 8; L. ult. § 1, C. de iure deliberandi. — 5. L. 3, D. h. l. — 6. L. 3, L. 5, L. 6, L. 8, L. 12, C. eod. — 7. L. 21, § 2, D.; L. 15, C. eod. — 8. Authent. Regat., C. eod. — 9. L.

administrationes habent, ipsi quidem assumant apparitorem magnificentissimi prætoris plebis, in provincia vero locorum defensorem: et per eos inferant eis verberum experimentum: quatenus propter hoc nihil celet veritatis, aut etiam capiantur per hanc viam pecuniis testimonium perhibere, aut aliter circa hoc malignantes.

CAP. II. Ut instrumentis debita pecuniæ testes rogati non fortuiti adhibeantur, seu de testibus instrumentariis.

Et⁸ licet dudum nullam in debitis ex scripto factis non scriptarum solutionum probationem per testes suscipi sanciverimus, nisi secundum observationem ibi⁹ dictam, quam scilicet valere præcepimus: et tamen etiam nunc hoc renovamus. Si enim scriptum sit debitum, et non scripta præferatur solutionis a litigantibus per testes probatio: tunc susceptibilem eam apud iudices esse, dum ad hoc ipsum assumantur¹⁰ testes, ut pro facienda solutione aut memoria factæ alicui jam solutionis, et confessione ejus qui pecunias accepit, testimonium perhibeant viri fide digni constituti: aut etiam causam testimonii forte faciant manifestam. Hæc autem inania et ex transitu perhibita testimonia, nulla modis omnibus valere ratione, et huiusmodi quædam fingere testimonia, ut propter aliud quoddam opus adveniens, audiat aliquos dicentes accepisse ab aliquo aurum, aut debere alicui. Hæc namque aperte nobis suspecta sunt, et nulla digna ratione dum quando et tale aliquid in iudicando invenimus, eo quod cum multe pecuniæ dicantur solutæ, tabularii duo tantummodo hoc dixerunt *audisse se, teste præsentem nullo, et debitum in scriptis constitutum*, et fatente scribere ex hoc sciente et valente per proprias literas hæc manifesta facere; quod ex illo odio habentes occasionem præsentis accepimus legis. Et iterum adductus est aliquis alius similis calumniant, et presentibus testibus ad hoc, et coram tabulario deposuit *apud semetipsum debita esse*; et is quidem qui mercede hoc egit, decensit, alius autem exactus est debitum, quod ab alio quodam tanquam ab eo scilicet confessum est, Deo huiusmodi omnino non indulgente occultari.

CAP. III. Ut testimonia scriptis red gantur, et quorsum.

Neque igitur huiusmodi credimus testimoniis, aut tabulariorum (sicut prædiximus) depositionibus, eo quod literis eruditi sint, qui confiteri volunt, apud quem, et scribere, aut in iudicio confiteri, et dare rei fidem indubiam: neque manere eas veracibus pestiferas concedimus: neque si tale aliquid factum est, recipimus: sed exigimus quod deprecatum est ab eo, qui deduxit testes in hoc ipsum: et hoc per testationes demonstrare necesse est eos (hoc quod in¹¹ testamentis) rogatos¹², et bonæ opinionis constitutos, et ita cautam suscipere ab eis probationem, et neque attestationem deinceps, neque testium habentem præsentiam, et depositionem, et subscriptionem, tenere. Si vero non huiusmodi constituti testes sint, quales pridem ediximus, et supplicis subdi eos præcipimus. Si vero quidam aperte contraria¹³ dicant sibi, aut alterutris testificentur, maxime iudices hoc animadvertere: et si veraciora testificatis adversitates invenerint, ejiciant quidem ejusmodi testationes: ea autem quæ a dignioribus¹⁴ fide et plurimis dicta fuerint, considerent. Si vero astu¹⁵ apparuerint malignantes, et ex hoc incidentes in contrarietatem: neque immunes eos derelinqui, nisi secundum aliquem errorem fortuitum, et non astu contraria dicentes demonstrantur.

CAP. IV. Ut cognitio testimonii quartæ productioni testium locus non sit: vel, quot et quomodo testes producuntur.

Quia¹⁶ vero multi sæpe testes producant, et tertio hoc agentes, postea mox ut concluderint, et excepta fuerint testimonia, tentantes interpellationibus nobis importuni esse, et velle etiam quarto deducere testes, sancimus nostros iudices hoc maxime considerare: et si tertio producti jam sint testes: et ab eo qui testes deduxit, concludente et editum accipiente, iterum petantur testes: hos omnino non adesse: utpote suspitione habita, ne forte relicti quidem prioribus, et dudum manifestis propter eorum testimonia factis, ille non productionem testium, sed de præcedentibus aut non testificatis additamentum, aut eorum depositionibus emendationem desideret. Si vero deducens quidem testes, editionem nondum acceperit, neque perlegerit testationes, neque ipse, neque aliquis advocatorum ejus: adversarius autem ejus acceperit solus, et fecerit disputationem, non tamen eam dederit ei, qui tertio dudum fecit testium productionem, neque per dispositionem edoctus sit is qui eos produxerat, quæ testimoniis desunt, hæc adijci: tunc dandum esse et quartam productionem testium ei qui hoc petierit, primitus sacramento dando ab eo, quod neque subtrahat, neque percunctatus est testationes, neque ipse, neque aliquis

18. C. eod. — 10. c. 5, infr. hic. — 11. L. 21, § 2, D. qui testam. facere possunt: *adde* N. 117, c. 15; L. 9, D. de divort. — 12. c. 2, supr. hic; *vide* tamen L. 11, D. h. t. — 13. L. 2, L. 16, D. eod. — 14. L. 5, § 2, D. eod. — 15. L. 16, D. eod.; L. 1, § 2, D. ad leg. Corneli. de falsis. — 16. Auth. At qui semel, C. de probationibus.

advocatorum ejus, aut omnino pro eo agens: neque per aliquem dolum aut machinationem vel artem, quartam productionem petit fieri testium: sed propterea quod non valuit primitus uti denunciatis testimoniis; et si hoc factum fuerit: neque jussione pro talibus imperiali egere sicut pridem erat: sed ex hac lege sufficienter eis hæc quæ permissa sunt: et usque ad quartam testium productionem licentiam esse testimoniis uti, non tamen per longum intervallum: ut non ex hoc protrahantur lites: sed oportere omnino velocitatem eis imponere, secundum quod iudex existimaverit hoc fieri. — § 1. Illud tamen indubium est, quia etsi semel producentes testes, aut bis, aut testificationes tractaverit, aut adversario hoc faciente, ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti testium productione, neque si divina hoc jussio præceperit.

CAP. V. Ut testes in propria provincia examinentur: et quo ex loco trahantur.

Et¹⁷ quoniam scimus dudum factam legem¹⁸, ut si quis hic litem exerceat, oportet autem in provincia parte aliqua approbati: licentiam labere, iudice hoc decernente, et sufficiens spatium temporis definitum, deducere intra provinciam testes, et hoc transmittere litem gestis perlati: et ab eodem iudicari iudice. Multæ autem huiusmodi interpellationes nobis fiunt, volentibus aliquibus, qui in provinciis quidem litigant, hic vero testes habent, ut teneantur huiusmodi lege: et licentiam esse in provinciis iudicanti dirigere hoc ut præsententur testes, aut testificationes omnino dentur, et iterum ad eum referri lites. Et si de provincia in provinciam hæc petantur fieri: sancimus propter probationum abundantiam et hoc valere, et posse etiam a provincia huc ab eo qui iudex est in provincia destinari: et ab uno (qui a nobis definitus fuerit) eloquentissimorum iudicum, interlocutione de eo a iudice facta testationes dari: et a provincia alia in¹⁹ aliam provinciam, aut apud defensorem, aut apud præsidem testificationibus ex interlocutione iudicantis datis: illic videlicet definitiva sententia danda, ubi²⁰ et lis contestata est: ut quemadmodum hinc in provinciam apud iudices aut defensores de productione testium agi sancita sunt, ita et a provincia in provinciam, et a provincia huc teneant: et perfecta per omnia sit probationum omnibus facultas: testimoniis quidem non editis, neque in provinciis, sed gestis datis eis a quibus producuntur, aut eorum adversariis sub gestis monumentorum signa percipientibus, et ita huc, aut in provincias destinandis a iudicibus: ne quando forsitan et aliis egeat testibus causæ natura, et excludatur propter editionem testium adjectio. Hæc omnia in pecuniariis questionibus intelligentes: in criminalibus enim in quibus de magnis est periculum omnibus modis apud iudices presentari testes: et quæ sunt eis cognita, edocere: ubi et tormentorum forsitan erit opus, et aliis omnibus observationibus.

CAP. VI. Ut testimonium recipiatur ejus qui servus esse dicitur: et de testium statu.

Si²¹ vero dicatur servilis²² esse fortunæ qui testari voluerit, is vero *liber affirmetur constitutus*: si quidem ex nativitate, impletur quidem testimonium: disputationum vero de statu servetur ratio: ut si apparuerit fortunæ servilis esse, ejus testimonium, ac si neque datum fuerit, ita sit. Si vero *libertum se dicat*, compellatur demonstrare primum instrumentum, in quo libertatem percepit: et sic testetur. Si vero *in alia provincia libertatem dicat perceptam*, aut non esse in promptu sibi probationes, et hoc evidenter juraverit: testatio quidem scribatur, non monstrato vero manumissionis instrumento, is qui deduxit eum, non utetur ejus testimonio.

CAP. VII. Ut testes propter inimicitiam a dicendo testimonio repellantur, et de testibus inimicis.

Si vero quis dicat *odiosum* presentem ad testimonium sibi constitutum, et approbaverit statim quoniam criminalis²³ inter eos lis movetur: non adsit ad testimonium qui usque adeo infestus est, donec de crimine iudicetur. Si vero aliter odiosus esse dicatur, aut conventus pecuniarie: procedat quidem testatio, tempore vero disputationum serventur huiusmodi questiones.

CAP. VIII. Ut mediatores non nisi de partium consensu testimonium ferant, et de testimonio proxenætarum.

Quoniam vero legem²⁴ proposuimus in pecuniariis causis nolentes testificari, illos non compellendos testimonium dare, qui ante *mediatores* facti sunt ipsis, et quidam abutuntur hoc, et testimonio nolunt uti: sancimus, si utraque pars consentiat quod et mediator eorum fiat testificator,

17. Authent. Apud. C. de fide instrum. — 18. L. 18, C. d. t.; L. 3, § 6, in fin. D. h. t. — 19. N. 134, c. 5. — 20. L. 30, L. 54, D. de iudicis. — 21. Authent. Si testis, C. h. t. — 22. N. Leonis 49. — 23. Fac. L. 6, § 17, D. de excusat. *adde* L. 5, pr. D. h. t. — 24. L. 16, l. 19.

(componantur enim ea quæ ab eo dicuntur) compellere eum etiam nolentem testimonium perhibere: prohibitione propter quam eum nolentem testificari penitus nostra voluit lex, propter consensum utriusque partis sublata.

CAP. IX. Ut testimonium productio non nisi præsentem fiat adversario: et quo tempore testes in testimonium admittantur.

Et²⁵ hoc vero quia multoties actum scimus, quod quidam ad apud locorum defensores, aut apud clarissimos provinciarum præsides, aut forte (ut assolet) hic apud virum clarissimum magistrum census ingrediuntur, et queruntur tanquam ab aliquo sustinentes aliquid contra leges, aut aliter læsi, aut damnificati, testes volentes producere, ut non in posterum opponantur eis, quæ ab una parte gesta sunt: oportet etiam illum in ea civitate constitutum, in qua testationes dantur, admoneri etiam iudice, sive a defensore, presentem esse, et audire²⁶ attestations. Si vero noluerit advenire, sed respuerit, ut ex hoc ab una²⁷ parte testimonia dentur, ut secundum hoc ipsum inutilia essent: sancimus huiusmodi attestations ita tenere, ac si non ex una parte constitutæ sint, sed tanquam eo presente factæ sint. Si enim recusaverit, et advenire noluerit, et audire depositiones, (etenim publicabuntur) et nisi per inexcusabilem aliquam necessitatem deduci non possit, similis advenienti erit: et nullum juvamen ex sua protervitate ei efficietur: sed videantur quidem probationes factæ: quæcumque vero competierint ei ad disputandum de eis, licebit his uti solummodo quod videntur esse ex una parte: propter ejus proterviam, propterque audaciam minime advenientis, testationibus oportere non valere. Omnibus aliis quæ de testibus et ab iis qui ante nos et a nobis ipsis dicta sunt et sancita, fixis manentibus, et a nostris iudicibus observandis: sive majores, sive minores sint: et sive in hac magna civitate, sive foris in provinciis: ut ea quæ de testibus sunt, quantum possibile nobis est, corrigentes, adhuc purius et sanctius lites agi præparemus: propter quas et cognitiones fieri a iudicibus omnibus divinis²⁸ propositis Evangelicis sancimus, et iurjurandum subire et pulsantes et pulsatos et advocatos præcipimus, ubique Deum inspectorem et eorum qui iudicant et quibus iudicatur, et qui testimonium præbent animabus: ut perennis Dei commemoratio et præsentia, mundalium et citra suspitionem litigantibus fiat, quam legem tenere volumus de cætero omni tempore.

EPILOGUS,

seu promulgatio.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc divinam manifestata sunt legem, tua eminentia operi effectuique tradere festinet. — Dat. 5 kal. octob., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 13, APPIONE V. C. CONSULE.

TIT. III.

UT EXACTIONE INSTANTE DOTIS PRIMÆ ET SECUNDÆ, VIRO AD SECUNDA VOTA MIGRANTI PRÆPONATUR UXOR PRIMA, VEL EX PRIORI MATRIMONIO FILII: ET SI VOLUERIT UXOR, AUT IS QUI PRO EA DOTEM SCRIPSERIT, DARE VIRO QUÆ SCRIPTA SUNT, DISTULERIT AUTEM VIR SUSCIPERE: SOLUTO MATRIMONIO EXIGI EUM AB EA ETIAM CONSCRIPTAM ANTENUPTIALEM DONATIONEM.

NOVELLA CONSTIT. XCI.

Imperator JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

Ut dos primæ uxoris præferatur doti secundæ uxoris, sive ipsa sive liberi ejus agant.

PREFATIO.

Dudum iudicantibus nobis in dubitationem venit causa multa correctione digna, et legislatione clariori non indigna. Etenim quidam prioris factus uxoris vir, cum eam extulisset, deinde secundæ dotem suscipiens, et filios ex priore relinquens, obiit adhuc secunda superstiti; volebat igitur secunda uxor dotem a se datam exigere, privilegio utens a nobis dato: contradicebant autem ex priori matrimonio filii, et ipsi maternam obij-

C. eod. — 25. Authent. Sed et si quis, C. eod. — 26. *Adde* L. 27, § 7, D. ad leg. Jul. de adult. — 27. L. 19, in fin. C. h. t. — 28. L. 2, pr. C. de iurjur. propter calumniam.

cientes dotem. Et dubium erat, utrum etiam non superste uxore priori, porteret suscipi filios contra secundæ dotem litigantes. Non enim aliis dedimus¹ dudum et damus hoc privilegium, aut heredibus, aut creditoribus, sed solis filiis. Plurimæ siquidem dubitationes extiterunt in hac causa, dicente secundæ, quoniam expendisset antequam ad eam venisset matrimonium prioris uxoris dotem: et non esse justum, suam quidem, quod tantum inventus est reliquisse vir, quantum sufficeret soli secundæ, dotem eam perdere: illos autem expensam jam dotem percipere. Sed filii hypothecas proponebant, quoniam omnino rebus existentibus morientis hypothecæ seniores potiores quam secundæ essent.

CAP. I.

His² igitur in dubitationem venientibus, illud certum etiam a nobis sancitum est, quia si³ aliquid appareat rerum prioris aut secundæ dotis hoc necessarium filios prioris aut secundæ habere: aut si moriatur etiam illa, filios ejus singulos, quod proprie habendum suum ostenderit. Hinc enim et in rem quæ de proprietate est, competit pure, et unumquemque quod suum est habere, nullo privilegio indigens. Si vero nihil appareat utriusque rerum, aut aliqua quidem appareant, aliqua vero desint: sive superstites sint mulieres, repudio fors prior matrimonio dissoluto: competere mulieri dotem: sive defunctæ sint filii existentibus ambæ, aut etiam una harum: in iis quæ desunt, superiore esset prioræ, et filios ex ea, antiquiorem dotem præponentes, id est dicere nepotes et pronepotes, et deinceps successores, cujuscunque naturæ fuerint. Sicut enim si uxo debita publica fuisset, necessario antiquum præponeretur posteriori: ita et hic privilegia necessarium est priori doti dare priora: et ita secundæ: et dotem non præponere doti, nec hypothecam hypothecis: sed quod antiquius⁴ est tempore, amplius manere proprium robur habens et privilegium. Tempora namque hypothecarum permutare, aut interimere vel minuere, nullo modo patitur. Et hoc dicimus non ignorantes, quoniam jam et in alia quadam nostra legislatione hoc decrevimus, sed quoniam omnino motum est apud nos, et quasdam habuit diversas causa questiones: et propterea ad presentis legis opus accessimus: ut non nunc aliquid prius sanciremus, sed ut clariorem eam omnibus constitueremus.

CAP. II. Si per maritum steterit quo minus dos ei solveretur.

Illud⁵ quoque adjicere legi bonum est, quod mota questio similiter necessarium nobis ad legislationem fecit. Si enim debeat dotem mulier, et illa quidem dare voluerit ipsa fors, aut qui pro ea promisit illam, quicumque fuerit aut proximorum, aut extraneorum: aut profectitia aut adventitia sit dos: (hæc enim verba legis sunt) vir autem, aut ejus pater⁶ fors aut avus suscipere eam nolit: pars autem mulieris contestetur, et parata sit hoc solvere, aut etiam aliquid majus peragere, et offerat fors, et si mobilis sit, signacula etiam imponat, et secundum leges recondat: aut secundum unam partem ingrediens in iudicium, petat hoc fieri: et pergens ex iudicio quidam denunciet hæc ad partem viri: at ille permoneat ita differens: non poterit soluto matrimonio antenuptialis donationis exactionem declinare, tanquam dote non data. Qui enim dare voluit: dum perceptionem recusat is, qui suscipere postulat, proximus est danti, et hoc cum aliis in dote valeat. Sicut enim nisi dederit, per dilationem dotis, negationem ei antenuptialis donationis inferimus: ita vel si voluerit dare, et percepturus est studio recusaverit perceptionem, damus ei antenuptialis donationis matrimonio soluto petitionem: licet dotem propter viri causam non intulerit.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, eminentia tua operi effectuique tradere festinet.—Dat. kal. octob. Constantinop., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, APPIONE V. C. CONS.

TIT. IV.

DE IMMENSIS¹ DONATIONIBUS IN FILIOS FACTIS.

NOVELLA CONSTIT. XCII.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

PREFATIO.

Dudum² de Falcidia et illius parte decrevimus, augentes eam non ignobili incremento, quod enim nimis inæquale est, non valde placet nobis,

Tit. III. — 1. L. ult. C. qui potior, in pign. — 2. Authent. Si quid, C. d. t. — 3. L. 30, C. de her. dotum. — 4. L. 11, D. qui potiores. — 5. Authent. Dos uxo. — 6. de donationib. ante nup. — 7. N. 2, c. 5.

sed oportere quidem præponi filios, quos pater voluerit, non tamen in tantum minui aliis, ut importabilis sit eis imminutio.

CAP. I.

Posita³ igitur a nobis lege in sua virtute manente, illud volumus, ut si quis donationem immensam in aliquem aut aliquos filiorum fecerit, necessarium habeat in distributione hereditatis, tantam unicuique filiorum servare ex lege partem, quanta fuit priusquam donationem pater in filium aut filios, quos ea honoravit, faceret. Sic enim nihil ulterius in donationibus querentur, qui habent quidem in omni substantia patris, quod legitimum est: in tantum autem aucta quantitate, quantum habuit substantia patris antequam donationibus exhauriretur: non valentibus filiis qui donationibus honorati sunt, dicere contentos se quidem esse immensis his donationibus, videri autem abstinere paternam hereditate: sed neque cogendis quidem si contenti sunt donationibus, suscipere hereditatem: necessitatem autem habentibus omnibus modis complere fratribus quod hæc defert secundum quam scripsimus mensuram: ut non minus habeant illi quam quod ex legibus eis debetur, propter factam in donationibus immensitatem: dum liceat patri mediocriter sapienti circa omnem prolem, etiam iis qui ab eo potius diliguntur, donare aliquid amplius, et non ceteros filios per immensitatem in illos factam lædere, et nostram transcendere intentionem. Et hæc quidem nostra ab initio cogitatio fuit, differentes autem illud dudum, et humanarum experti animarum, quoniam videbamus eos in hujusmodi passionibus labefactari, atque descendere, propterea nunc augmentum illi legi hoc facimus. — § 1. Hæc itaque dicimus de filiis gratis existentibus eis, non de ingratiss, et quibus pater justam et legitimam ingratitudinem infert; nam si hoc ita se habere apparuerit, et approbentur ingratitudinis causæ, sint ea quæ in lege de ingratiss posita sunt, rata: nihil hæc nostra legislatione minuenda.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc sacram nostram declarata sunt legem, tua celsitudo operi effectuique tradere festinet.

TIT. V.

DE APPELLATIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. XCIII.

UT SI MOTA APUD APPELLATIONIS JUDICEM CAUSA LITIGATORES AD ARBITROS DEVENIANT, INTEREAQUE TEMPORIS BIENNII DECURRAT, ET CONTINGAT DENUO CAUSAM AD APPELLATIONIS REDIRE JUDICEM, NE BIENNII DECURSUS OBJICIATUR.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

PREFATIO.

Subjectorum nostrorum interpellationes legum nobis præbent occasiones pro salute subditorum conscribendarum. Additionem namque nobis quidam [patronus] fecit: quia lege volente appellanem, et per biennium tacentem, aut certe exercentem quidem, non tamen per exequentem appellanem cadere certaminibus, et confirmata sententia, non posse ulterius procedere, sed ratam¹ fieri utrique sententiam. Hesy-chium autem et adversarium ejus exercuisse quidem litem apud pedaneum judicem: addictum autem eundem Hesy-chium appellasse: et causam contigit recurrere ad tuam cognitionem: et dum lis in iudicio tue celsitudinis exercebatur, recessisse quidem a certaminibus apud te gestis, arbitros autem elegisse communes ex conscripto, et apud illos concurrisse, et quædam exercuisse, postea vero neglexisse quidem electos arbitros, non autem persecutos apud eos motam litem, sed transacto biennio uti adversarios ejus, quia non possit a condemnato exerceri in tuo iudicio talis lis, sed oportet eam confirmari semel biennio transacto: illum vero propterea non persecutum apud tuam gloriam, eo quod litem apud electos diceret arbitros.

CAP. I.

Sancimus² igitur memoratum quidem negotium ex quo hæc nobis sunt nunciata, nihil lædi ex cursu temporis, neque ratam esse iudicis sententiam semel appellanem data: sed et exerceri apud tuam gloriam, et terminum legitimum suscipere: etiamsi decies milles plussquam biennii tempus excesserit aut excedat. Deinceps autem in omni negotio in quo

Tit. IV. — 1. Lib. 3, C. 29. — 2. N. 18. — 3. Authent. Unde, C. de inoffic. testam. Tit. V. — 1. L. ult. § 4, C. de tempore, et reparat. — 2. Authent. Si tamen, C. d. t.

tale aliquid agitur, et in medio motæ causæ apud judicem appellanem, aut non motæ, si aliqui eligantur alii, et propterea biennium transeat, intra quod oporteat appellanem judicem litem decidere: et per quamlibet circumstantiam rursus revertatur ad judicem appellanem causa: aliis quidem omnibus liceat uti partibus, tanquam si eos non contigisset deserere quidem appellanem iudicem, ad electos autem venire: non tamen posse uti, quod biennium præterit. Nam qui semel iudices alios elegit, non est justum ut taciturnitate culpet ejus, qui propterea læsus est, quia iis quæ gesta sunt, de electione iudicum credidit: et ideo non est executus, neque complevit litem illic, eo quod apud iudices illos sit exercitum negotium.

EPILOGUS.

Hæc igitur in omni negotio servari apud tuum forum volumus, et in omni alio, ubi secundum appellanem iudicatur schema: quatenus nihil injuste circa nostros subjectos agatur. Si vero etiam postquam deseruerint electos iudices biennii transeat tempus: tunc confirmari volumus sententiam secundum constitutiones de hoc factas a nobis, quod etiam deinceps in omnibus futuris secundum hos modos negotiis valere volumus; aliis omnibus quæ de appellatis certaminibus priscis dicta sunt legibus, et a nobis in legum conscripta sunt codicibus, in propria virtute manentibus.

TIT. VI.

UT SINE PROHIBITIONE MATRES DEBITRICES ET CREDITRICES TUTELAM GERANT MINORUM, NEQUE JUSJURANDUM PRÆSTENT, QUOD NON VENIANT AD SECUNDA VOTA.

NOVELLA CONSTIT. XCIV.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosissimo sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Nuper¹ scripsimus legem super cura minorum (malignitates quæ circa eos fiunt ex frequentibus litibus, quæ apud nos agitantur invenientes) quatenus nullus obligatus existens minoribus aut obligatus eos habere se dicens, curam exerceat: ne fors in potestate rerum factus, agat aliquid circa minorem malignitatis: et lex ipsa rata nobis sit, et ex præsentibus firmata.

CAP. I.

Quia vero matribus volentibus curam habere minorum, et petentibus secundum veteres et nostras leges curam subire, objecta est contra nostram intentionem ab aliquibus non recte hujusmodi constitutio: volumus in legem hoc dicentem, matrum excipi personas. Primum quidem causam introductam pro minoribus semper prohibere, nunc inceptissimum existimavimus: deinde nullas eandem constitutionem objicit matri et aliis, cum illam namque naturæ amor plus circa filios, sine suspitione faciat quam plurimum, illis nullam habentibus ad filios favoris necessitatem: recte non est matribus derogandum, ideoque licentia sit matribus secundum antiquam² observationem abrenunciatis et obligatis suas res, sicuti prius schema fuit, et tueri filios, et talem præscriptionem non formidare: sed ita super his esse ac si nec ab initio contigisset legem in hoc scribi. Quapropter sive dotes, sive sponsalitates largitas exiguntur, sive alia debita habeant, sive matres ad minores, sive minores ad matres, ex paternis fors occasionebus, aut etiam ex propriis: (multa namque quilibet cogitans et considerans adveniet) sint hæc integra utrique, secundum priores constitutiones iudicanda et tractanda, sive legitimum sive naturalium mater filiorum tutelam gerat.

CAP. II.

Quia vero multam habemus formidinem, ne facile jusjurandum per magnum Deum detur, et hoc prævaricetur: propterea credimus oportere et hanc emendare legem³, quæ vult matres⁴, dum suorum filiorum curam gesturæ sunt, jusjurandum jurare, quod ad secundas nuptias non venient: et toties scimus prævaricatam legem et jusjurandum perjurum datum, quoties pene datum est: ut peccatum apertissimum esset, quia hoc intulimus jusjurandum ad prævaricandum: non enim eo quod aliqua servaverunt jusjurandum, propterea oportet et eas quæ exhonorant eum, habere occasione impietatis in Deum. Nam quod⁵ ratio fit (sicut etiam vetus sapientia docet) non observant legislatores: sed quod fit plerumque,

Tit. VI. — 1. N. 72, c. 1, 2, 3 et 4. — 2. L. 2, C. quando mulier tut. offic. — 3. d. L. 2. — 4. Adde Auth. Matri et avie, C. d. t. — 5. L. 64, D. de reg. jur. — 6. Authent. Sacramentum, C. quando mulier tut. offic. — 7. Areg. N. 118, c. 5. — 8. Derogatur d. L. 2. — 9. Fac.

et respiciunt et medentur. Propterea⁶ igitur sancimus aliam quidem observationem quam in matribus observamus, valere secundum schema, et abrenunciare eas et Vellejano SC. et omni auxilio, et omnia agere, quæ prius decreta sunt: jusjurandum vero non⁷ præberi, sed sufficere abrenunciationem solum Vellejani, et aliorum omnium: et de secundis nuptiis nullo⁸ jurejurando de hoc dando: mox tamen ut secundas contraxerit nuptias, repente expelli a tutela, et ea agi, quæ si eam jurare contigisset, perferret, semel in iudicium mentita, et præponens propriæ confessioni et depositioni secundas concupiscentias.

EPILOGUS.

Hæc igitur lex super pietate sit posita: ut enim non injuriatur in aliquo honor in Deum, hæc a nobis sancita sunt: ut ex nunc valeant, tua celsitudine manifestam faciente hanc legem in provinciis omnibus. Hinc enim gloriosissimo præfecto hujus felicissimæ civitatis, cui hæc curæ sunt, de his transmisimus legem: ut providentia ejus, et vivi clarissimi prætoris, cui hujus partis cura est omni tempore servari, et ex nunc teneat: quatenus in omni pupillari substantia omnis cautela fiat circa res minorum custodiæ, et præcipue, ut cum subtilitate descriptiones fiant, præsentibus quoque clarissimo scriba, cui de talibus cura commissa est, et aliis qui consuevit talibus interveniunt: subtiliter et fidejussionibus dandis et omnibus agendis, sicut nostris decernitur legibus, providentia clarissimi prætoris, cui hujus partis cura est: proponatque eam ipse in hac regia civitate, ut omnibus sit manifesta, et nullum lateant quæ a nobis sancita sunt. De hoc enim legem sciri oportet in provinciis servari, gloriosissimis præfectis sacrorum nostrorum prætoriorum destinativum. — Dat. 8 idus octob. DN. JUSTIN. P. P. A. anno 15, APPIONE V. C. CONS.

TIT. VII.

DE ADMINISTRATORIBUS.

NOVELLA CONSTIT. XCV.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

PREFATIO.

Jam quidem novimus positam legem volentem eos qui in cingulis fuerint, sive civilibus, sive militaribus, neque si removeantur ab administratione, discedere inde non posse, antequam dies quinquaginta¹ in metropolitibus commorentur, publice apparentes, et convenire volentibus satisfaciens: ut nec per occasionem hinc evocationis, possint a provincia discedere: et vel si quid egerint tale, rursus eos ad provinciam destinari. Invenimus autem aliquos sic existentes audaces, ut etiam hæc posita lege, antequam discingerentur præsentem derelinquere provincias, et ad hanc felicissimam civitatem venire timore a se gestorum, et ne justa perferrent horum quæ deliquerunt.

CAP. I.

Sancimus igitur nulli penitus licentiam esse cujuscunque provinciæ iudici, et Orientalium, et Occidentalium, et ex utroque, eam relinquere antequam deponat cingulum: sed etiam postea (renovamus enim vetustatem) quinquaginta² commorari dies, publice apparentem in provincia in qua administravit: gesta quoque monumentorum conficere, secundum quæ advenit provinciæ: ut sit palam sive fiduciam habeat in suis actibus, sive advenit provinciæ: ut sit palam sive fiduciam habeat in suis actibus, sive etiam non.— § 1. Si quis autem administrationem administrans aliquam militarem, vel civilem, aut etiam remotus ab ea, relinquat provinciam: administrans quidem adhuc eam dum relinquit citra nostram jussionem, ipse quidem majestatis³ reus sit: in provinciæ vero denuo destinatus, postquam accusantibus satisfecerit, tunc majestatis novissimas sustineat penas. Si vero deponens cingulum, deinde non moretur, tunc legitimum diebus publice cunctis semetipsum ostendens, et fugiat de provincia: quæ dudum a nobis de hoc sancita sunt, valere.— § 2. Illud autem omnibus prædicimus, ut dum aliqui acceperint cingulum, tueantur illud: successores autem eis cinguli factos, solere non ultra terminos mittere quæ vocantur interdicta⁴, neque remove quidem præsidem, ipsos autem aut morose iter agere: aut hic degere: aut [ad] aliquas alias prius ire provincias patriam visuros: et quæcunque fortuitis et blandientibus hominibus consueta sunt: sed velociter ad administrationem ire, cujus regimina susceperunt, ut non alii quidem removeantur, alii vero non sint, et provincia sine iudice maneat: sed ante duos solum dies quam ad provin-

L. 24, C. de adm. tut. Tit. VII. — 1. c. 1, pr. infr. hic; N. 8, c. 9; L. un. C. ut omnes iudices. — 2. In pr. sup. hic. — 3. Fide tamen L. 15, D. de offic. præsid. — 4. Areg. L. 4, § 5, D. de offic. procons.